

ex sequentibus exemplis, doctrinam de natura humana sua luce radiare, et quidem melius, quam si multis hypothefibus eandem obscurare ulterius annitamur, quod quidem negotium certis quibusdam articulis conficere apud animum constituimus. Faxit DEVS feliciter!

ARTICVLVS I.

DE

CIRCVITV SANGVINIS.

Hominis conditionem et actiones ob oculos ponere uno quodam Experimento, res est non tantum ardua, verum etiam, si per vires naturae illud praestare possemus, admiranda. Quo quidem loco notare debemus statuum humanam circulatoriam Reifselii, qua mechanice ad humani corporis effigiem, ejusque vasorum & viscerum structuram et magnitudinem constructa, varias actiones hominis repraesentare allaboravit, et quam ipse in Ephemeridibus Germanorum delineavit. Notum quoque est Sceleton Sylvii in quo Venae, Arteriae, Nervique per filamenta ferrea et aenea cum valvulis suis ostenduntur, sed quis non perspicit, in his Experimentis desiderari vitam et essentiam hominis, insigni documento, has machinas equidem egregia esse structurae corporis humani monumenta, non vero viva, sed potius mortua. Apud antiquos

qvos